

comitis, ac nobilium uirorum dominorum Petrache Petri, Jannis Egidii et Francissci Damiani iudicu[m] dicte ciuitatis Spaleti.

(cc. 114): Die predicto (*5 dicembre*). Constitutus in presencia reuerendi in Christo patris domini Dominici archiepiscopi supradicti, Janninus de Placencia, procurator procuratorio nomine uenerabilis patris domini Andree eadem gratia episcopi Scardonensis, petiti instanter ab eodem domino archiepiscopo sibi dari debere appellatos super appellatione interposita per eundem dominum episcopum coram eo, occasione cuiusdam debiti ser Marci de Molino de Veneciis, in quo quidem debito idem dominus episcopus estitit condempnatus. Cui Jannino procuratori idem dominus archiepiscopus ibidem presenti respondit sic: Quia appellationi ipsius domini episcopi tanquam friuole et inane non detulit nec deferre intendit, sibi pro appellatis respondit quod ipse dominus episcopus debeat satisfacere suo creditori predicto sicut se sponte obligauit et sicut sententiatum est ac etiam declaratum, ne ligatus neque subspensus et excommunicatus existat in preiudicium sue anime et subditorum suorum et sue ecclesie non modicum detrimentum, hec sibi pro appellatis respondendo; rogantes me notarium infrascriptum ut de petitione et responsione predictis conficiam publicum instrumentum. Actum Spaleti in curia archiepiscopatus ipsius, presentibus domino Dessa archidiacono et domino archipresbitero Spalatensibus, testibus et aliis pluribus.

#### IV

1342, 4 gennaio.

IV, I, 119, 120.

(cc. 119): In dei nomine amen. Anno a natuitate eiusdem millesimo trecentessimo quadrigessimo secundo, inductione decima. Regnante domino Karulo Roberto serenissimo rege Ungarie, ac domino nostro domino Bartholomeo Gradonico dei gratia inclito duce Veneçiarum, temporibus uenerabilis patris et domini domini Dominici dei gratia archiepiscopi Spalatensis, egregii et potentis uiri domini Leonardi Muçinigo honorabilis comitis, ac nobilium uirorum dominorum Petrache Petri, Jannis Egidii et Francissci Damiani iudicu[m] dicte ciuitatis Spaleti.

(cc. 120): Die quarto ianuarii. Thouerdos Berisclauich de Vlasiniotoch de Citino per se et suos heredes et successores, iure proprio et in perpetuum dedit, uendidit et tradidit Vochisię Slauicich suo nepoti, pro se et suis heredibus et successoribus recipienti, uillas infrascriptas: in primis uillam que dicitur Gidomich; item uillam que dicitur Petrouopolli prope Pobricich et prope Gidomich; item uillam que dicitur Pobracich;